

rationalis in se clare cerneret, ad naturam istius substantiæ, cujus modus est, necessariam pertinere existentiam.

Operæ pretium erit hic ostendisse, quanta sit inter Cartesii & Spinozæ existentiam Dei a priori demonstrandi modos similitudo. Sic Cartesius *Princip. Part. I. Art. 45.* *Atque ut ex eo quod, exempli causa, percipiat in idea trianguli necessario contineri, tres ejus angulos esse æquales duobus rectis, plane sibi persuadeat triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis; ita ex eo solo, quod percipiat, existentiam necessariam & æternam in entis summe perfecti idea contineri, plane concludere debet, ens summe perfectum existere.* Ita Spinoza in sua demonstratione propositionis *XI. Part. I. Ethic.* *Si negas, concipe, si fieri potest, Deum non existere. Ergo (per Axiom. 7.) ejus essentia non involvit existentiam. Atqui hoc (per proposit. 7.) est absurdum: Ergo Deus necessario existit.* Fateor, me sæpius omnes ingenii nervos intendisse, & me obtusi ingenii accusasse, quod vim hujus demonstrationis, quam quidam Viri axioma nuncupant, non potuerim percipere. Sed quicquid egerim, re infecta semper desistere debui. Vidi equidem, necessarium esse subjectum in-

v.
In quo
inter
Carte-
sium &
Spino-
zam mi-
rus est
consen-
sus.

B

ter